

*cles. universal.*, cap. 10, num. 49, et *De offic. et potestat. parochi*, part. III, cap. 26, n. 49; Burghab., centur. 3, cas. 20; La Croix, l. VII, n. 256; Samuel., *De sepultur.*, tract. 2, controvers. 5, conclus. 2, et plures alii; quod si quis reperitur in puteo vel in flumine submersus, aut laqueo suspensus, veneno seu ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet, quod se ipsum voluntarie et sui compos occiderit; quod tamen in dubio non est præsumentum, cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumentur, argum. 1. *Merito* 52, Pro socio. Tum quia potuit talis per insidias, aut vi per alium in puteo vel flumen precipitari, aut laqueo suspendi, seu, quod satis probabile est, ex amentia, vel mentis alienatione se ipsum occidere, ut recte notant citati doctores et alii; signum autem sufficiens suspicandi, quod adfuerit alienatio mentis, est, si antea animadversus est defigi in melancholia. Gobat, in *Quinar.*, tract. 5, cap. 5, n. 15; La Croix, *loco cit.*, num. 256, et alii. Item si mane sit confessus, communicarit, et postea inveniatur mortuus cum laqueo in collo, seu demersus in puteo vel flumine. Gobat, *loco cit.*, n. 54; La Croix, *loc. citat.*, num. 256, cum Navarr. et Rodrig. ibi allegatis; ubi subjungit, quod Löhner putat, si commode fieri potest, et sit suspicio voluntariæ cædis, quod melius expectetur iudicium episcopi; sic etiam si reus non confessus, nec legitime convictus reperitur mortuus in carcere, non ideo statim privandus est sepultura ecclesiastica, quia talis non sufficienter probatur esse malus, aut a se ipso, vel dæmone occisus, quia præsumentum est semper pro reo et pro innocentia; multa sunt enim mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, tristitia, et huiusmodi, quia, dicit S. Augustinus, *De civitate Dei*, l. XIX, c. 6: et si non morte puniantur, in ipsis, vel ex ipsis, plerumque tormentis moriuntur: La Croix, lib. IV, n. 1477, cum aliis ibi citatis; unde in similibus caute attendendæ sunt omnes circumstantiæ talis mortis, personæ, loci et temporis ad dignoscendum an quis sit a seipso sibi bene præsentem voluntarie occisus, vel ex amentia, seu mentis alienatione, aut ab alio seu dæmone sit interfectus, aut ob aliquam ex assignatis causis obierit, et sic an privandus sit, nec ne, ecclesiastica sepultura.

(185. Item sepultura ecclesiastica privantur suspensi, impœnitentes. Cap. final. caus. 13, q. 2. (186. Et sic omnes, qui in notorio ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt, ut qui in actuali furto et rapina, fornicatione, adulterio, et huiusmodi occiduntur, ut habet communissima doct. Arg. *Quibus peccata* 6, caus. 13, quæst. 2, cap. *Non æstimemus* 19, cap. *Pro obeuntibus* 21 cum seq., eadem caus. 13, quæst. 2, cap. *Fures*, De furtis, cum similibus.

(187. Item regulares utriusque sexus proprietarii, si moniti a superiore absque emendatione et pœnitentia decesserint. Cap.

*Monachi* 2, cap. *Super quodam* 4, c. *Ad monasterium* 6, De statu monachor. Vide verb. *REGULARES*, art. 1, a n. 16 ad 20, ubi adducuntur textus et casus.

(188. Recte tamen advertunt quoad hæc Barbosa, *loco cit.*, n. 47; Samuel, *De sepulturis*, contrav. 6, conclus. 1, cum pluribus ibi allegatis; Roderic., in *Compend. quæst. regular.*, resolut. 188, n. 20; Portell., in *Dub. regul.*, verb. *Sepultura*, n. 11, et alii plures, non esse ita præcipitanter privandum ecclesiastica sepultura religiosum inventum mortuum cum bursa denariorum; præsumi enim debet, seu saltem potest, denarios non esse proprios, vel quod ex oblivione, aut negligentia alterius inibi remanserint, aut quod tales denarii essent sui consanguinei, vel amici, seu quod illos habuisset ad faciendam secretam restitutionem, seu eleemosynam, et huiusmodi; unde in tali casu non esset religiosus privandus ecclesiastica sepultura, nisi certo constaret, quod esset mortuus vere proprietarius et impœnitens; eo vel maxime quod *citata* jura loquantur solum de religioso a suo superiore prius admonito, et nihilominus proprietario et impœnitente defuncto.

(189. Omnes quamvis exempti et privilegiati, qui scienter sepeliunt aliquem tempore interdicti, vel aliquem nominatim excommunicatum, vel personaliter publice interdictum, vel manifestum usurarium, vel hæreticum, aut ejus defensorem, fautorem vel receptatorem, et peccant mortaliter, et eo ipso excommunicationem incurrunt. Clem. 1, *De sepulturis*, et cap. *Quicumque* 2, De hæretic. in 6.

(190. Sepelientes autem alios sepultura indignos, ut suicidas, decedentes in peccato mortali, infantes non baptizatos, catechumenos, religiosos proprietarios, etc., peccant quidem mortaliter, utpote in gravi causa agentes contra prohibitionem Ecclesiæ, possuntque pœna arbitraria ab episcopo puniri, utpote qui potest transgressores legum ecclesiasticarum punire; at non incurrunt dictam excommunicationem, quia talis lex, utpote pœnalis, non est extendenda ultra casus et personas expressas; l. *Interpretatione* 42, ff. *De penis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt, potius quam asperandæ. » cap. *In penis* 49, De regul. juris in 6, ibi: « In pœnis benignior interpretatio est faciendâ, juncto cap. *Odia* 15 eod., ibi: « *Odia* restringi, et favores convenit ampliari. » Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 95; Samuel., *loco cit.*, tract. 2, conclus. 1, et alii passim.

(191. A tali pœna etiam ex prædictis aliquem sepelientes excusantur, qui ex ignorantia vel gravi metu coacti id faciunt. Argum. cit. Clement. 1, *De sepulturis*, ibi: « Qui propriæ temeritatis audacia non siue contemptu clavium Ecclesiæ. . . scienter sepelire præsumunt, » et cit. cap. *Quicumque* 2, De hæretic. in 6, ibi: « *Quicumque* hæreticos, credentes, receptatores, defensores vel fautores eorum scienter præsumperint

ecclesiasticæ tradere sepulturæ. » Sic Glossa, *ib.*, verb. *Scienter*; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 79; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 95, et alii passim. (192. Item a tali pœna excusantur, qui tempore interdicti sepeliunt in casibus a jure, vel ab Apostolicis privilegiis concessis. Glossa, in d. Clement., verb. *A jure*; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 95, et alii passim.

(193. Nominem sepelientium ad incurrendam dictam excommunicationem veniunt terram aperientes, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes, aut concedentes et procurantes. Anchar., in cit. Clement. 1, *De sepulturis*, n. 10; Pirrhing, *loco cit.*, n. 80; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 79; Samuel, *loco cit.*, tract. 2, contrav. 10, conclus. 3, cum pluribus ibi allegatis. Item etiam cooperantes, associantes, seu crucem portantes et luminaria deferentes. Anchar., *loco cit.*; Samuel, *loco cit.*, cum aliis allegatis; et ratio est, quia omnes isti participant in crimine criminoso, adeoque omnes isti subjacent dictæ pœnæ. Arg. c. *Nuper.*, et cap. *Concubinæ*, De sentent. excomm.

(194. Cadavera excommunicatorum denuntiatorum sepulta in loco sacro debent iterum exhumari, si ossa discerni possunt, et ecclesia propter talem sepulturam polluta reconciliari. *Communis*, textu expresso in cap. *Sacris* 12, De sepulturis, et cap. *Consulti* 7, De consecration. eccles. (195. Idem procedit de infidelibus et paganis. *Communis*, textu expresso in cap. *Ecclesiam* 27, et cap. *Ecclesiam* 28, dist. 1, De consecrat., ibi: « Evulsis corporibus. » (196. Donec autem prædicta excommunicatorum, et infidelium, seu paganorum cadavera exhumentur, et ecclesia reconcilietur, nemo ibidem sepeliri potest. *Communis*, textu expresso in cap. *unic. De consecrat. eccles.* in 6.

(197. An autem etiam per sepulturam aliorum indignorum ipsa polluat ecclesia, et sic debeat reconciliari, Vide verb. *ECCLÉSIA*, art. 4, 5 et seqq.

(198. Circa sepulturam excommunicatorum, seu absolutorum in articulo mortis, servanda est dispositio cap. final., *De sepult.* Sacra congregat. *Immun.*, in *Mediolan.* 15 Febr. 1633, lib. I *Decret.* Paulucci, pag. 150.

(199. Supposita absolutione, vel quod excommunicatus dederit in mortis articulo signa pœnitentiæ, et præstita per hæredes cautione de reficiendis damnis, quatenus refecta non fuerint, conceditur facultas tradendi sepulturæ ecclesiasticæ. Sac. congr. *Immun.*, in *Meliten.* 23 Septembris 1659, *Decr.* pag. 211, in *Theanen.* 6 Decemb. 1695, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 234.

(200. Ordinarius mandet cadaver olim excommunicati, et in articulo mortis absoluti ab ejus simplici confessario, sepeliri in loco sacro. Sacra congreg. *Immun.*, in *Sipontina* 3 Aprilis 1661, lib. *Decret.* Rocci, pag. 329.

(201. Cadaver excommunicati, qui non tantum dedit signa pœnitentiæ, sed etiam decessit munitus sacramentis, episcopus tradat ecclesiasticæ sepulturæ ad formam cap. *A nobis*, De sentent. excomm. Sac. congr. *Immun.*, in *Nicoteran.* 12 Novemb.

1668, lib. I *Decret.* Altovit., pag. 288.

(202. Quando quis non fuit declaratus excommunicatus, vel non fuit notorius, non potest impediri sepultura. Sacra congreg. *Immun.*, in *Catacen.* 12 Nov. 1647, lib. IV *Decret.* Pauluc., pag. 30.

(203. Cadaver correi homicidii in personam sacerdotis, mortui in excommunicatione, non est tradendus ecclesiasticæ sepulturæ. Sac. cong. *Immun.*, in *Feretrana* 31 Julii 1675, lib. I *Decret.* Alt., p. 974.

(204. Nisi curia sæcularis amoveat impedimentum appositum sepulture, ne clerici cadaver sepeliatur, cum hoc sit contra Christianam pietatem et contra jurisdictionem ecclesiasticam, episcopus procedat prout de jure. Sacra congr. *Immun.*, in *Sorana* 12 Maii 1674, *ibi*, pag. 939.

(205. Quoad excommunicatum defunctum sacra cong. injungit episcopo, ut præcise informet super denegatione sepulture ecclesiasticæ. Sacra congr. *Immun.*, in *Meliten.* 12 Jan. 1694, lib. I *Decret.* Vallem., pag. 98.

(206. Alia ad rem. Vide verb. *CADAVER*, verb. *CONFRATERNITAS*, verb. *PAROCHUS*, verb. *QUARTA FUNERALIS* per tot., verb. *VESTIS*, n. 17.

(207. Constructio, manutentio, ampliatio et restauratio communis sepulcri seu cœmeterii fieri debet expensis parochianorum et non parochi, quamvis parochus dives sit, quia cum id respiciat utilitatem et commodum parochianorum, qui sentiunt commodum, sentire debent et onus. Cap. *Qui sentit* 55, De regul. juris in 6, l. *Secundum naturam* 10, De regul. jur.; Sperell., decis. 68, n. 8; Panimoll., decis. 6, adnotat. 7, n. 31, et decis. 15, adnotat. 1, n. 44; Crispin., *De visitat.*, part. II, §13, form. 1, n. 93; Joan. Baptista Bassi, tract. *De sodalitatibus*, quæst. 5, n. 15, impress. ad calcem Amostaz., *De causis piis*. Ad expurgationem autem communis sepulcri seu cœmeterii tenetur is, qui habet curam animarum, et emolumenta ratione funeralium percipit (si dives), et in subsidium tenetur populus. Sic sac. congreg. *Concil.*, in *Fossanen.* 19 Septembr. 1637, in responsione ad quintum, super dubiis impressis in synodo bonæ m. Trotti ejusdem episcop., pag. 1218.

(208. Occisus, seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si prius non sibi elegerit sepulturam, nec habeat sepulcrum majorum, sepeliendus est in parochia, sub cujus finibus reperitur caput cadaveris; ubi enim est pars nobilior corporis, ut est caput, censetur esse totum. L. *Cum in diversis* 44, ff. *De relig. et sumptib. funer.* Et sic servat praxis et communis consuetudo, quæ est optima legum interpret. C. *Cum dilectus* 8, De consuet., l. *Si de interpretatione* 57, ff. *De legib.*

(209. Jam enim dictum fuit supra num. 84, quod habitans in confinio duarum parochiarum, est parochianus illius parochiæ ex qua domus aditum habet, quia ex aditu judicatur de ea domo, cui cedat. L. *Si qui ædes* 31, ff. *De legatis* 111. Et si domus habeat duas portas, judicatur de ea parochia, in qua est porta principalis et aditu magis



frequentatus. Et si aditus, sive ostium sit a parte anteriori domus, et a parte etiam posteriori, ac vicissim ingrediatur quandoque ab anteriori, et quandoque a posteriori, nihilominus censendus est parochianus illius parochiæ, in qua est aditus a parte anteriori domus, cum illa pars censeatur nobilior, et ubi est pars nobilior, censeatur esse totum, per cit. leg. *Cum in diversis*, ut expresse docet Pignat., tom. VIII, consult. 5, n. 7, cum pluribus ibi allegatis; ubi insuper recte addit, quod si tota domus sit in fundo parochia A, et pro ipsa amplianda, illi adjungatur aliud ædificium fundatum in vicina parochia B, istud ædificium adjectum accedit ad principale, et est ejusdem parochiæ A, dummodo prius ædificium sit adhuc nobilior, amplius et principalius, quia accessorium cedit principali. C. *Accessorium* 42, De regul. jur. in 9, l. *Nihil dolo* 128, § *Cum principalis* 178, ff. *De regul. jur.*, et sic decernitur in *Statuto cleri Romani* cap. 3, § 17, teste Pignat., loco cit., in fine.

(210. Habens sepulcrum majorum, si decedat sine sibi specialiter electa alia sepultura, debet sepeliri in ipso majorum sepulcro, textu expresso in cap. *Nos instituta* 1, De sepult., cap. *Cum quis* 2, et cap. *Is qui* 3, eod. in 6, juxta dicta supra n. 8. Et si alibi sepeliatur per vim, aut fraudulenter, seu alias invitit et insciis rectoribus ecclesiæ, in qua adest dictum sepulcrum suorum, est ipsi ecclesiæ restituendum cadaver simul cum omnibus emolumentis, ut dictum est de eo, qui non sepelitur in ecclesia a se electa. Vide supra n. 7, et sub verb. *CADAVER*, num. 11, ubi refertur, sic decisum fuisse in Alexandrina et in Calaritana, et sic confirmatum fuisse ab Alexandro VII, constitutione. incip. *Alias pro parte*. Et sic respondit sac. congreg. Concil., in *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Restitutionis cadaveris* 28 Novembris 1711; et in *Sorana Funerum* 24 Aprilis 1723, et sæpius alibi. Electio enim sepulturæ, et sepulcrum majorum in defectu electionis æquiparantur, et de similibus idem debet esse judicium. Leg. *Non possunt* 12, et leg. *Nam ut ait Pedius* 13, ff. *De legibus*. Ne ad imparia judicentur adversus dispositionem textus in leg. *Non debet* 41, ff. *De regul. jur.*, cap. *Non licet* 33, De regul. jur. in 6, cum concordantibus apud Rotam, p. xix, tom. 1, dec. 2, n. 11. Quamvis enim non expresse ipsum sepulcrum elegerit, tacite tamen et implicite censetur elegerit per dicta supra n. 10 et 12. Facti autem, et expressi idem est judicium; cap. ex part. II, *De rescript.*, leg. *Cum quid* 3, ff. *De rebus hæredit.*, et frustra exprimitur, quod jam intelligitur. Leg. *Cornelius* 69, ff. *De hæredit. instituend.*, leg. *Hæc verba* 3, ff. *De legatis* 1. Habetur enim pro expresso, quod tacite subintelligitur. Leg. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 111, cum similibus. Nec potest alibi sepeliri, neque de consensu hæredum et parentum, cum istis non competat facultas ipsi eligendi sepulturam, quam neque pater extra sepulcrum majorum po-

test eligere filio puberi et adulto; imo neque filio impuberi post mortem, per allata decreta et dicta supra n. 104. Unde caveant qui sic usurpant aliena cadavera; tenentur enim etiam in foro conscientiæ ad integram restitutionem, cum sic usurpent jura et bona aliena.

(211. Moriens in carcere, in quo detinetur custodia et correctionis causa, si non sibi elegerit sepulturam, vel non habeat sepulcrum majorum, sepeliendus est in parochia sui proprii domicilii: si vero damnatus fuerit ad carcerem in perpetuum vel ad certum tempus, sepeliendus est in parochia, cui subest carcer. Sic expresse per viam legis determinatum fuit in *Statuto cleri Rom.*, juxta ipsius novissimam compilationem, c. 3, litt. F, fol. 20, ibi: « Carceribus quoque ex quavis causa ad custodiam vel correctionem mancipati, si in illis mori contingat non electa sepultura, sepeliendi in ecclesia parochiali, in cujus parochia retinet domicilium, damnatos vero ad carceres in perpetuum, vel ad tempus, in ecclesia parochiali, cui subsunt carceres, tumulandos esse declaramus. » Et in effectu ita practicum fuit de mense Martii 1707, favore Eccles. S. Mariæ Transtiberim pro carcerato defuncto in carceribus Capitulinis. Atque demum in præcis nostris terminis probatur id practitari in carceribus novis ex attestazione eorumdem officialium in secretaria exhibita. Sic refert D. Ursaya, tom. I, part. II, discept. 30, n. 24 et seq. Et de facto sacra congreg. Concilii, in *Farsen. matrimonii* 26 Martii 1707, declaravit, quod matrimonium contractum ab eo, qui erat carceratus ad custodiam vel ad correctionem, coram parcho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu carceratus acquirit domicilium. Et hoc decretum legitur impressum in *Statuto cleri Romani*, cap. 3, *De jure eligendi sepult.*, n. 4, in addit., et sic cum pluribus aliis juxta nostram conclusionem tenent Pignatell., tom. VII, consult. 86, ubi in fine adducit etiam ipse ad id statum cleri Romani, dicitque exstare decretum pro ecclesia parochiali S. Mariæ Transpontinæ, et pro Ecclesia S. Blasii in via Julia pro captivis pariter in pœnam in carceribus novis; ac concludit tenendum esse, quod mancipati carceribus in pœnam per aliquod tempus si ibi moriantur, debeant sepeliri in parochia carcerum, et si contingat alibi sepeliri, debeat quarta funeralis eidem parochiæ; quia cum sint servi pœnæ, contrahunt habitationem, ubi luunt pœnam, uti dicitur de relegatis per text. in l. *Filii libertorum* 22, § *Relegatus*, ff. *Ad municipalia*, ibi: « Relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet; » quod Glossa in l. *Ejus qui* 27, § final., vers. *Unde arceatur*, eod. titul., et cum multis aliis Samuel., *De sepulturis*, disp. 5, contr. 9, conclus. 10, n. 14, intelligunt de relegatis in perpetuum; relegati autem, ac confinati

ad tempus sunt sepeliendi in eo loco et civitate, ubi debuissent sepeliri, ac si non essent relegati, ut expresse concludit Samuel., loco cit., allegans ad id Bartolum, Abbatem, Felinum, Jean. Andream, Zabarellam, Lavorium, Florian., et alios.

(212. In sepulcro servi Dei cum fama sanctitatis decessi non est vetitum apponi aliud quod signum insolitum ad dignoscendum, quod ibi sit sepultus; cultus enim publicus prohibitus non infertur, ex quo corpus servi tumulatum sit in sepulcro separato cum simplici inscriptione in lapide, aut in capsula collocata in sepulcro communi cum inscriptione nominis, aut in sepulcro magifico; sic egregie et erudite suo more plurimis adductis docet card. de Lambertinis (fuit Summus Pontifex), lib. II *De servor. Dei beatific. et beat. canonizat.*, cap. 12, n. 12 et seq. Et ratio est, quia si hæc, et his similia libere fiunt erga illos, etiam, qui ex hac vita decedunt sine ulla sanctitatis fama, ut infinitis exemplis experientia demonstrat, multo magis fieri poterunt erga eos, qui cum ipsa sanctitatis laude moriuntur: cum isti nedum deterioris, sed multo melioris et excellentioris conditionis præ illis haberi debeant. Tum quia, absque eo quod, ob id quidpiam commissum dici queat, seu contra jus commune, seu contra Urbani VIII decreta, aliasque Apostolicas sanctiones, summe hoc juvat ad probandam identitatem, de qua tractu temporis posset exoriri dubitatio, sicut difficilius fieri probatio, ut contigisse in casu nostræ beatæ Hyacinthæ de Maescottis testatur supralaudatus de Lambertinis, loco cit., n. 13. Unde ad aver-tendum dictum periculum, supradicta licere tradunt Pignatell., tom. IV, consult. 48; Castellin., *De certitudin. glor. sanctor.*, cap. 2, punct. 32, n. 41, et Molphes., cons. 45, n. 14, ibi: « Si enim hujusmodi viris sanctitate perspicuis locus ab aliis separatus non daretur, sed simul cum aliis humarentur, non possent suo tempore ab aliis segregari et distingui, et sic ecclesia careret corporibus, et aliis sanctorum reliquiis, et sanctorum cultus maximam pateretur jacturam. » Sic refert et tenet cum plurimis aliis nunquam satis commendatus de Lambertinis, loco cit., n. 12 et sequent., merito ibi, et per tot. attente et fructuose legendus.

(213. Patres Capuccini tenentur tradere, sicut alii, parochis quartam ceræ accensæ in associatione cadaverum, quæ ad eorum ecclesiam tumulanda deferuntur, et intortitionum, quæ accendunt circa cadaver in eorum ecclesia expositum. Sacra congregat. Concilii, in *Aquensi, oppidi Ovada*, 19 Septembris 1732, et in *Lunen. Sarzanen.* 18 Martii 1737, ad tenorem constitutionis Benedicti XIII, incip. *Romanus Pontifex*, ac in *Oritana* 12 Februarii 1729.

(214. Adduntur attendenda, quæ sequuntur. Pro extractione, introductione vel transitu cadaveris delati ad sepulturam nequit exigi gabella aut vectigal; sic reprobatis contrarium sentientibus, nervose probat cardin. de Luca, *De regularibus*, discurs.

166, occasione præventionis excitatæ pro cadavere cardinalis Giberti Borromæi, qui obiit in oppido Neptuni, et transportatus fuit ad urbem; et in fine testatur, ita vivæ vocis oraculo decisum fuisse a S. M. Alexandro VII, occasione ejusdem præventionis Dohanerorum pro translatione cadaveris infantis Margaritæ de Sabaudia, quæ in urbe pie decedens, Assisii sepulturam elegerat, quem aliis adductis, sequitur Ald. ad *Pamphil.*, decis. 323, n. 9; apud Ursaiam, *Institut. crimin.*, lib. III, tit. 9, n. 48 et 49. Et sic expresse declaravit sacra congregatio Immunitat., in *Firmana* 10 Junii 1653.

(215. Nec parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiæ et diocesis potest prætere aliquid partem ceræ, aut pecuniarum pro quarta funerali, aut alio titulo ab hæredibus defuncti, ut expresse statuit sacra congregatio Episcoporum et Regular., in *Placentina* 24 Novembris 1713, in respons. ad 2 dub. *Vide* verb. *PAROCHUS*, art. 2, num. 36, ubi alia ad rem per tot.

(216. Ante solis ortum, aut post illius occasum, absque licentia ordinarii, non possunt cadavera ad sepeliendum deferri. Sacra congregatio Concilii, in *Novarien.* 15 Martii 1740, ad 4 dub. Et sic statuunt fere omnes synodi diocesanæ, et signanter nostra Alexandrina celebrata anno 1734, tit. *De sepulturis*, vers. *Ante solis ortum*. Non potest tamen episcopus demandare sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut cadavera ante lapsum xxiv horarum ab emissionem spiritus ad ecclesiam non deferantur. Sacra Congr. Concilii, in *Horton. Censurarum* 12 Decembr. 1705. Quamvis possit statuere, ut cadavera non sepeliantur, nisi xii saltem horis ab emissionem spiritus; seu xxiv, si agatur de subitanea aut repentina morte decessis, ut statuitur in dicta Alexandrina synodo, loco cit., et passim etiam in aliis.

(217. Additur adhuc attendenda ad rem sequens resolutio particularis congregationis a Clemente XI deputatæ, et adjecta *Statuto cleri Romani*, § 7 et 8, ac relata a sæpius laudato cardinali de Lambertinis volumine 5, notificatione 17, his verbis: « Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in alia parochia decedant. Patre vero orbatos quousque apud ipsam matrem aluntur, licet in potestate tutorum, non matris, existant, de parochia matris, non tutorum, esse declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam dentur a matre, domicilium in parochia matris, si vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorum, non vero nutricum, retinere declaramus. Quod si nec tutores habeant, in parochia, in qua decedunt, tumulentur. »

(218. Attendenda sunt sequentia decreta relata ab eruditissimo P. Cavalieri, in *Agenda defunctorum*, et ibi doctissime commentata.



(219. Episcopus impediatur cum omni diligentia ac pastorali sollicitudine abusus gentilitatis, quod feminæ in funere suorum liberorum, parentum aut maritorum capillos vellat; pœnas autem exigendas ipse non retineat, sed apud depositarium deponat. Sac. cong. Episc. et Regular. 20 April. 1587. *Vide verb. CADAVER, n. 24.*

(220. In secundo triduo majoris hebdomadæ non possunt celebrari exsequiæ defunctorum, et officium, et preces recitentur privatim. Sacra R. C. 11 Aug. 1736, in *Placentina*.

(221. Defunctorum corpora in ecclesiis regularium tumulanda, deferenda sunt recto tramite, et per viam a parochio declarandam ad ecclesias ipsorum regularium, non autem prius ad parochialem. (222. Quod servandum erit etiam hæredibus defunctorum contradicentibus, et ad dictam parochialem prius deferri volentibus. S. R. C. 19 Decembr. 1671, in *Savonen*.

(223. Hæredes non tenentur vocare, nisi parochum. Sac. congregat. Episcop. et Regular. 28 Septembris 1646.

(224. Si electio non fiat ab hæredibus, parochus ad funus vocare potest, quos voluerit, omissis etiam vicinioribus. Sac. R. C. 6 Septembris 1613, in *Ferrar*.

(225. Quoties electio fit a parochio, clerici ecclesiæ debent externis præferri. Sac. congregat. Episcop. et Regular. 23 April. 1649.

(226. Funus comitantes in parochiali ecclesia, vel in alia juxta loci consuetudinem omnino convenire debent. S. R. C. 8 Feb. 1644, in *Tropien*.

(227. Nullo modo permittendum est a funus comitantibus parochum exspectari per vias, vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine exspectandi per vias, vel ad domum defuncti. S. R. C. 12 Febr. 1633, in *Thelesina*.

(228. An liceat curatis, salvis eorum juribus parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne regulares vocati ad funus, corpora defunctorum, ad quasvis ecclesias deferenda, una cum parochia et clericis personaliter associant? S. R. C. respondit: «Regulares in casu proposito non posse impediri.» Die 3 April. 1633, approbante Urbano VIII, die 25 Junii 1633, in sua constitut. *Nuper pro parte*.

(229. Parochi, capellani confraternitatum, sacerdotes alique ecclesiastici, qui cotta induti interveniunt processionibus funeralibus, deferant, sicuti in aliis processionibus, birretum sacerdotale, non vero pileum, excepto tempore pluviae et noctis, prout disponit Rituale Romanum, tit. *De process.*, et ut sæpe resolvit S. Rit. C. (230. Quæ quidem pilei prohibitio non solum est pro ecclesiastico sæculari, sed etiam regulari, licet sint parochi cotta induti. Clemens XI 9 Decemb. 1704, constit. *La Santità di nostro signore*.

(231. Nullo modo est tolerandus abusus, quod mortui curru clausi deferantur ad ecclesiam. Sac. cong. Episcop. et Regular. 17 Martii 1650.

(232. An congregationi sacerdotum sæcu-

larium sub invocatione sancti Philippi Neri in associatione confratrum, defunctorum competat præcedentia supra regulares? 2. An eidem congregationi occasione associationis eorumdem cadaverum liceat elevare propriam crucem? Ad primum et secundum *affirmative* respondit sac. Rit. C. 19 Aug. 1719, in *Imolen*.

(233. In depositione defunctorum in verbis illis: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo (Psal. cxlii, 2)*; quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo* immutari in *serva tua* vel *servis tuis* absque sacræ Rubricæ læsione, et servandum est Rituali. Sacra Rit. congreg. 14 Aug. 1697, in *Fanen*.

(234. In exsequiis parvulorum in feria v et vi, et Sabbato majoris hebdomadæ potest omitti *Gloria Patri* in psalmis, qui dicuntur, pro conformitate temporis. Sac. Rit. congreg. 16 Jun. 1677, in *Hispal*.

(235. Parvulorum sepulcrum ab aliis debet esse separatum. Sac. Rit. cong. 10 Decemb. 1620, in *civit. Castellan*.

(236. Parvulorum corpora possunt sepeliri etiam in ecclesiis regularium, si ibi est sepulcrum majorum, vel concurrente consuetudine, si ibi pater eligit sepulcrum. S. R. C. 12 Decembr. 1620, in *una civit. Castellan*.

(237. Sepulcrum eligere licet parentibus in quacunque ecclesia voluerint, etiam regularium, pro eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerint, nec a parochis locorum impediri possunt, aut debent, præsertim si in dictis regularium ecclesiis sepeliri consueverint, vel in eis habeant sepulcrum majorum. Sac. congreg. Episc. et Regul. 20 Jan. 1610.

(238. Sacra congreg. Regul. et Episcop. examinata prius diligenter relatione episcopi, censuit licuisse et licere parentibus in ecclesia Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenere, eligere sepulturam, ac propterea restituenda esse ipsorum fratrum ecclesiæ cadavera infantium jam deposita, præmissis, cæterisque quibuscunque non obstantibus. Die 20 Martii 1643.

(239. Exhumetur puella, et sepeliatur in sepulcro majorum, in quo sepeliri debent, quicumque carent facultate sibi eligendi sepulturam. Sac. congreg. Episcop. et Regul. 11 Oct. 1616, et præsertim si pater sic sepeliri intendat. Ead. cong. 22 Febr. 1641.

(240. Infantes, alique quicumque, qui non habent facultatem sibi eligendi sepulturam, vel hac non electa decedunt, sunt tumulandi in sepulcro suorum majorum, vel in parochiali ecclesia. Sacra cong. Episcop. et Regul. 16 Novemb. 1625.

(241. Clerici non sepeliantur in sepulcro suorum majorum, ubi est consuetudo eisdem sepeliendi in sepulcris separatim a laicalibus. Sac. cong. Episc. et Regul. 13 Maii 1610.

(242. Clericus, qui sibi non electa sepultura

decedit, sepeliri debet in sepulcro majorum, et non clericorum. Sac. Rit. congregat. 6 Maii 1705, in *Senogall*.

(243. Sepultura non electa, si uxor præmoriatur, et maritus habeat proprium sepulcrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites parochiæ, ubi mortua est. Sac. R. cong. 15 Jan. 1633, in *Senogallien*.

(244. An cum fratres aliqui extra monasterium moriantur, et a curatis sacramenta receperunt, possint ab eorum superioribus ad suas ecclesias deferri, parochis inconsultis? Resp. Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis. Sac. cong. Cone. 2 Julii 1620.

(245. Clerus sæcularis nihil potest prætere propter exsequias, aut sepulturam monachorum, aut fratrum morientium extra claustra. Sac. cong. Episcop. et Regul. 24 Nov. 1634 et 24 Septemb. 1636.

(246. An in ecclesiis fratrum sepelienda sint cadavera eorum, qui ejusdem ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt? Resp.: Si conditiones in Bulla Aurea fel. rec. Sixti Papæ IV contentas, in ipsis adimpletas esse constiterit, videlicet quod a guardiano domus loci, in quo tales decedere contingerit, aut ab alio superiore, vel ab altero, cui id superior committendum duxerit, habitum receperint, et prædictus guardianus, vel alius superior eosdem præmonuerit, eorum cadavera propter habitum concessionem seu receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestant, esse sepelienda, eo casu cum habitu religionis decedentes, in ecclesiis pariter ejusdem religionis ecclesiasticæ sepulturæ esse tradendos. Sacra congreg. Episcop. et Regul. 11 Decemb. 1615.

(247. Parochi superiores ecclesiarum sæcularium et regularium, sacristæ, et alii, ad quos spectat, non permittere debent, quod cadavera ecclesiasticorum sæcularium, præsertim sacerdotum, sicut etiam diaconorum et subdiaconorum transferantur ex propriis domibus ad ecclesias, vel in istis exponantur quocunque alio habitu, sive confraternitatum, sive religionum, sed cum sacris vestibus eorum ordini convenientibus, juxta dispositionem Ritualis Romani, tit. *De exsequiis*, et Clementis XI 9 Decemb. 1705.

(248. Canonici pluviali, planeta, dalmatica vel tunicella parati non debent deferre almutias; canonico vero defuncto induto planeta, seu dalmatica, vel tunicella imponi potest almutia super brachium. Sac. Rit. cong. 4 Aug. 1663, in *una Dalmatiarum*.

(249. Pileus episcopi demortui debetur ecclesiæ tumulanti, non cathedrali. S. cong. Episc. et Regul. 26 April. 1653.

(250. Ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (scilicet capitula, parochi, rectores, vicarii, sacristæ, ostiarii et alii custodes, etiam regulares) provideant, ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria, super terram existentia, omnino amoveantur, prout alias statutum

fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Pius V, constitut. *Cum primum Apostolatus* 1 April. 1566.

(251. Ecclesiæ non debent fodi, neque excavari pro sepultura, sed in sepulturis, sive tumbis profundis intra terram Christianorum cadavera sepeliri. Sac. cong. Episc. et Regul. 23 Jul. 1603.

(252. Non licet parochis majorem eleemosynam exigere pro defunctis in ecclesiis regularium sepeliendis, quam eis solveretur, si in propriis vel aliis sæcularium ecclesiis sepeliri deberent. Sac. cong. Episcop. et Regular. 27 Octobr. 1603, 2 Octob. 1613, 20 Mart. 1647, 27 Jan. 1651.

(253. Cæteris paribus non possunt parochi majorem eleemosynam exigere pro sepultura forensium, aut extraneorum, quam incolarum. Sacra cong. Episc. et Regul. 23 Maii 1640, 31 Mart. 1646, 10 Jun. 1653, et 10 Jun. 1654, ac 8 August. 1659.

(254. In ecclesiis regularium sine horum consensu non potest quis sepeliri, nisi sit propria defuncti parochialis, licet ibi sepulturam elegerit, aut ad rem donationem vel legatum fecisset. Sac. cong. Episc. et Regul. 2 Jun. 1587.

(255. Supra sepulcri tabulam pro libito ornamenta plana quælibet hæredes efformare valent, dummodo e solo non emineant, et absint coronæ, vulgo *cornici*. Sac. cong. Episcop. et Regul. 26 Maii et 6 Octob. 1645.

(256. Num illi, qui coram testibus duntaxat, licet absque scriptura, in regularium ecclesiis sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi? Sacra cong. Episcop. et Regul. respondit «in dictis ecclesiis esse sepeliendos, sine præjudicio tamen jurium parochialium, » die 11 Decemb. 1615.

(257. Consanguinei defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepeliuntur, illis parentare in parochialibus, et aliis presbyterorum ecclesiis, etiam cathedralibus, compelli nullo modo possunt. Sac. congreg. Episcop. et Regul. 14 Jun. 1639, cujus decretum approbavit Alex. VII, in sua const. *Alias pro parte*, sub datum 30 April. 1660.

(258. Damnati ad mortem sepeliri non debent in ecclesia magnæ devotionis, si inde populus concipit horrorem et occasionem ecclesiæ minus frequentandæ. Sacra cong. Episcop. et Regul. 18 Martii 1590.

(259. In exsequiis post absolutionem, quæ fit supra cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die anniversario, y. *Requiescant in pace*, subjungi debet: *Anima ejus et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*, sed super lecticam, seu castrum doloris in commemoratione omnium fidelium defunctorum, nihil est superaddendum. Sac. Rit. congreg. 3 Dec. 1682, in *una canon. regul. Lateran*.

(260. Inhiberi non potest, quod non sepeliatur cadavera absque interventu duorum presbyterorum a capitulo deputatorum vice parochi, etiam ubi parochia spectat ad ipsum capitulum, quia unius assistentia sufficit.